



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

De schematibus Scripturæ, liber

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72031)

Fugit omne quod tenemus
Neque fluxa habent recursum,
Cupidasque vana mentes
Specie trahunt inani.
Ubi nunc imago rerum est,
Ibi sunt opes potentum,
Quibus occupare captas
Animas fecit voluntas.

De metro Trochaico.

Metrum trochaicum tetrametrum, quod à poetis Græcis & Latinis frequentissimè ponitur, recipit locis omnibus trocheum, spondeum omnibus, præter tertium. Currit autem alternis versiculis, ita ut prior habeat pedes quatuor, posterior tres & syllabam. Huius exemplum totus hymnus ille pulcherrimus;

Hymnum dicat turba fratrum,
Hymnum canticus personæ
Christo regi concinentes,
Laudes demus debitas.

In quo aliquando & tertio loco prioris versiculi spondeum reperies: ut,

Factor cæli, terræ factor,
Congregator tu maris, &
Verbis purgas lepræ morbos.

De Rhythmo.

Hæc de metris eminentioribus commemorasse sufficiat, quorum exempla copiosiora apud scriptores invenimus; præterea sunt metra alia perplura, quæ in libris Centimetrorum simplicibus monstrata exemplis, quibus que cupit, reperiet. Reperiuntur quædam & in insigni illo volumine Porphyrij poeta, quod ad Constantinum Augustum missum meruit de exilio liberari. Quæ quia pagana erant, nos tangere non libuit. Videtur autem rhythmus metris esse similis, quæ est verborum modulata compositio, non metrica ratione, sed numero syllabarum ad iudicium aurium examinata, ut sunt carmina vulgarium poetarum. Et quidem rhythmus sine metro esse potest, metrum verò sine rhythmo esse non potest; quod liquidius ita diffinitur, Metrum est ratio cum modulatione: rhythmus modulatio sine ratione: plerumque tamen casu quodam invenies etiam rationem in rhythmo non artificiali moderatione servatam, sed sono & ipsa modulatione ducente, quem vulgares poetae necesse est rusticè, docti faciant doctè: quomodo & ad instar Jambici metri pulcherrimè factus est hymnus ille præclarus:

Rex æternæ Domine,
Rerum creator omnium
Qui eras ante secula
Semper cum patre filius.

Et alij Ambrosiani non pauci. Item ad formam metri trochaici canunt hymnum de die iudicii per alphabetum:

Apparebit repentina dies,
Magna Domini fur obscuro,
Velut nocte improvisos occupans.

Quæ tria sint genera poematis.

Sanè quia multa disputavimus de poematibus & metris, commemorandum in calce, quia poematum genera sunt tria: aut enim activum vel imitativum est, quod Græci dramaticon vel mison appellat: aut enarrativum, quod Græci exegematicon vel apangelicon nuncupant: aut commune vel mixtum, quod Græci cenon vel mison vocant. Dramaticum est, vel activum, in quo personæ loquentes introducuntur, sine poetæ interlocutione, ut se habent tragediæ & fæbulæ. Drama enim, Latine fabula dicitur: quo genere scripta est,

Quò te Meripedes, an quò via ducit in urbem?
Quo apud nos genere Cantica canticorum scripta sunt, ubi vox alternans Christi & Ecclesiæ, tamen non hoc in-

terloquente scriptore manifestè reperitur. Exegematicon est vel enarrativum, in quo poeta ipse loquitur sine ullius interpositione personæ, ut sunt tres libri Georgici toti, & prima pars quarti: item Lucretij carmina, & his similia. Quo genere apud nos scriptæ sunt Parabola Salomonis & Ecclesiastes, quæ in sua lingua, sicut & Psalterium, metro constant esse conscripta. Cenon est vel mison, in quo poeta ipse loquitur, & personæ loquentes introducuntur: ut sunt scripta Ilias & Odysseas Homeri, & Æneidos Virgilij: & apud nos historia beati Job: quamvis hæc in sua lingua non tota poetico, sed partim rhetorico, partim fit metrico vel rhythmico scripta sermone.

Hæc tibi dulcissime fili, & conlevita Gutberte, diligenter ex antiquorum opusculis scriptorum excerpere curavi, & quæ sparsim reperta, diutino labore collegeram, tibi collecta obruli, ut quemadmodum in divinis literis statutis que Ecclesiasticis imbuere studui, ita enim metrica arte, quæ divinis non est incognita libris, te solerter instruerem: cui etiam de figuris vel modis locutionum, quæ à Græcis Schemata vel Tropi dicuntur, parvum subicere libellum non incongruum duxi: tuamque dilectionem sedulus exoro, ut lectioni operam impendas, illarum maxime literarum, in quibus nos vitam habere credimus sempiternam.

Explicit de arte metrica liber unus.

BEDÆ PRESBY- TERI DE SCHEMATIS SCRIPTURÆ LIBER.

Solet aliquoties in Scripturis, ordo verborum causa decoris, aliter quam vulgaris via, dicendū habet, figuratus inveniri: quod Grammatici Græcè *επιφωτισμα* vocant: nos habitum, vel formam, vel figuram rectè nominamus: quia per hoc quodammodo vestitur & ornatur oratio. Solet iterum Tropica loquutio reperiri, quæ sic translata dictione à propria significatione ad non propriam similitudinem, necessitatis aut ornatus gratia. Equidem gloriantur Græci, talium se Figurarum, vel Troporum fuisse repertoies.

Sed ut cognoscas (dilectissime fili) cognoscant item omnes, qui hæc legere voluerint, quod sancta Scriptura cæteris omnibus scripturis non solum autoritate, quia Divina est: vel utilitate, quia ad vitam ducit æternam; sed & antiquitate, & ipsa præeminet positione dicendi. Ideo placuit mihi, collectis de ipsa exemplis ostendere: quia nihil huiusmodi Schematum, sive Troporum, valent prætere illis seculis eloquentiæ magistris, quod non illa præcesserit.

Sunt autem multæ species Schematum & Troporum: tamen præcipua aliquot Schemata, & Tropos selectiores Scriptura habet: tanquam excerptos ex istis, qui sunt Grammaticis familiares: quorum primus tropus, Metaphora est omnium generalissimus: nam cæteri omnes, huius speciei videntur esse.

Metaphora.	Ironia.
Catachresis.	Antiphrasis.
Metalepsis.	Ænigma.
Metonymia.	Charentifinos.
Antonomasia.	Paremia.
Characterifinos.	Sarcasmos.
Exoche.	Asteifinos.
Epitheton.	Mysterifinos.
Synecdoche.	Homœosis.
Onomatopœia.	Homœologia.
Periphrasis.	Soraxifinos.
Hyperbaton.	Icon.
Hysterologia.	Icafinos.
Hysteron proteron.	Catatyposis.
Anastrophe:	Hypotyposis.

Paren-

Parenthesis. Metastasis.
 Synchysis. Enargia, non
 Energia.
 Tmesis. Parabola.
 Diacope. Antapodosis.
 Hyperbole. Paradigma.
 Allegoria.
 Hucusque habes nomenclaturam Troporum Grammaticorum: nunc verò Schematum,
 Prolepsis. Anaphora.
 Zeugma, Epanalepsis.
 Protozeugma, Epizeuxis.
 Mezozeugma, Epimone.
 Hypozeugma, Patonomasia.
 Hysterozeugma, Profonomasia.
 Synzeugmenon, Schelis onomatôn.
 Enexarumenon, Paromæon.
 Hypozeuxis. Homæoteleuton.
 Syllipsis. Homæoptoton.
 Ayntheton, vel Polyptoton.
 Metabole.
 Ayntheton. Hymnos,
 Dialyton. Dialytos.
 Polysyntheton. Climax.
 Anadiplosis.

Grammatici tamen alia habent Figurarum genera tali ordine: primò, Orationis vitia,
 Barbarissimum scilicet, & Solécissimum.
 Secundò, obfcurum, & Inordinatum.
 Tertiò deinde, Metaplasum.
 Postremò, Schemata, & Tropos.

Obfcuræ orationis species sunt,
 Acyrologia. Battologia.
 Pleonasmus. Macrologia.
 Perissologia. Eclipsis.
 Amphibologia. Apolopesis.
 Tautologia. Ænigma.

Inordinatæ orationis species sunt,
 Tapinosis. Cacoælia.
 Aeschrologia. Cacosyntheton.
 Cacophaton.

Metaplasmi verò species hæc sunt,
 Metaplasmus. Aphæresis. Synæresis.
 Prothesis. Syncopa. Eclipsis.
 Epenthesis. Apocope. Synalopse.
 Anadiplosis. Ectasis. Antrithesis.
 Epenthesis. Syntole. Metathesis.
 Paragoge. Diæresis. Parallage.

His autem enumeratis, accipe eminentiora decem & septem Schemata divinæ Scripturæ.

- | | | |
|----|---------------------------------------|---------------------------|
| 1 | Πρόληψις. | Præoccupatio. |
| 2 | Ζεύγμα. | Conjunctio. |
| 3 | ὁπόμενισ. | Subjunctio. |
| 4 | Σύλληψις. | Conceptio. |
| 5 | ἀνασπλώσις. | Replicatio. |
| 6 | ἀνάφορα. | Relatio. |
| | vel ἰπανάφορα. | Subrelatio. |
| 7 | ἰπανάληψις. | Reperitio. |
| 8 | ἰπιζεύξις. | Congeminatio. |
| 9 | συνανομασία. | Denominatio. |
| 10 | Ζήτησις ὀνομάτων. | Affectio. |
| 11 | παρομοίον. | Similitudo. |
| 12 | ἁμοιοτελευτόν. | Similis terminatio. |
| 13 | ἁμοιοπλάτων. | Ex similibus casibus. |
| 14 | Πολύπλοστον. | Ex pluribus casibus. |
| 15 | ἵρμωσις. | Convenientia. |
| 16 | Πολυσύνθετον. | Abundans conjunctionibus. |
| 17 | Διάλυτον, αὐτὸ ἀσύνθετον, ἢ ἀσυνδύον. | Dissolutio. |

Prolepsis.

Pρόληψις, præoccupatio, sive præsumptio dicitur. Figura est, quando ea quæ sequi debent, anteponuntur: quemadmodum habetur in Psalmo octuagesimo sexto: Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit

Dominus portas Sion. Antè posuit Ejus, & postea Cujus: id est, Domini. Item Psalmo 21. Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Prodivident, & mittent. Item Ezechielis 1, nihil anteponeus, ita incipit: Factum est in tricesimo anno, &c. Sermonem conjunctionis posuit, nihil aliud antè, cui hoc subjungere, præponens.

Zeugma.

Ζεύγμα, conjunctio dicitur figura, quando multa pendentia, aut uno verbo, aut una sententia concluduntur. Uno verbo: ut Apostolus ait ad Ephesios quarto capite: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis. Sententia autem, quemadmodum Psalmissa in Psalmo 14. præponens: Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec facit, &c. Ad ultimum ita concludit: Qui facit hæc, non commovebitur in æternum.

Hypozeugxis.

ὁπόμενισ, est figura superiori contraria, ubi singula verba, vel sententia, singulis quibusque elautis subjunguntur. Tale est & illud, in verbo: ut Psalmo 144. Virtutum terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt: memoriam abundantia suavitatis tuæ eructabunt, & in justitia tua exultabunt. Item primæ Corinthiorum 13. Sive prophetia, inquit evacuabuntur, sive lingua cessabunt, sive scientia destruetur. Sententia, quemadmodum habetur Psalmo 26. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

Syllipsis.

Σύλληψις est, quum casus discrepantes in unam significationem congregamus: veluti habetur in Psalmo septuagesimo septimo: Attendite populus meus legem meam. Item Psalmo centesimo quadagesimo nono: Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Quod enim ait, Ad faciendam: numeri singularis est, quod addidit, Increpationes: pluralis est.

Fit etiam Syllipsis in sensu, id est, ubi pro multis unus, vel pro uno multi ponuntur. Pro multis unus, ut Psalmo septuagesimo septimo: Immisit in eis muscam caninam, & comedit eos rana, & exterminavit eos. Quum non solum unam ad exterminandum Ægyptios muscam vel ranam, sed innumeras immitteret.

Item pro uno multi: quemadmodum habetur Psalmo secundo: Adfiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum. Reges enim pro Herode: Principes pro Pilato positis, Apostoli intellexerunt: quemadmodum continetur in Actibus Apostolorum quarto capite.

Anadiplosis.

ἀνασπλώσις, est congeminatio dictionis, quæ in ultima parte præcedentis versus, & prima sequentis iteratur: veluti habetur in Psalmo centesimo vigesimo primo: Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem, Hierusalem quæ ædificatur ut civitas. Item apud Hieremiam capite secundo: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

Anaphora.

ἀνάφορα, est relatio, quum eadem dictio bis sæpiusve per principia versuum repetitur: quemadmodum habetur Psalmo vigesimo sexto: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? Et infra: Si consistant adversum me ca-

stra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

Fit etiam Anaphora, ut eodem versu, per principia sensuum: quemadmodum Psalmo 18. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringens cedros. Quæ figura in Psalmis utilissima est. Hanc quidam Epanaphoram vocant.

Epanalepsis.

επαναληψις, est sermōnis in principio versus positi in ejusdem sine repetitio: quemadmodum Apostolus ad Philippenes quarto capite: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Item Psalmo 82. Deus, quis similis erit tibi: ne taceas, neque compescaris Deus.

Epizeuxis.

επιζευξις, est ejusdem verbi in eodem versu sine aliqua dilatione congeminationo, quemadmodum habetur apud Esaiam cap. 40. Consolamini, consolamini populus meus, dicit Dominus vester. Et iterum apud eundem, capite 51. Elevare, elevare, confurge Hierusalem. Et adhuc apud eundem, cap. 38. Vivens, vivens, ipse confitebitur tibi. Item Psalmsita simile quiddam habet Psalmo 18. Dies dici erudat verbum, & nox nocti indicat scientiam.

Alibi repetitio ejusdem sermōnis, Palilogiæ obtinet nomen.

Paranomasia.

Παρανομασία, denominatio dicitur, quoties dictio penè similis ponitur in significatione diversa, mutata videlicet litera vel syllaba: ut in Psalmo 21. juxta Hebraicam veritatem: In te confisi sunt, & non sunt confusi. Et Philipp. 3. Videte malos operarios, videte concisionem: nos autem sumus circumcisio, qui spiritu Dei servimus. Quam Esaias Propheta c. 5. figuram elegantissimè in sua lingua conficit, ubi ait: Expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor. Hebraicè enim judicium משפט dicitur, iniquitas במשח, justitia צדקה, clamor. appellatur. Pulchrè itaque una vel addita vel mutata litera, sic verborum similitudinem temperavit, ut pro dictione במשח diceret במשח, & pro צדקה poneret צעקה.

Schesis onomaton.

Σχῆσις ὀνομάτων, id est, multitudo nominum junctorum diverso sono, unam rem significantium: ut Esaiæ 1. cap. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. Item Psal. 105. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Parasion.

Παρασιον est, quum ab eisdem literis diversa verba sumuntur. Quæ nimirum figura, quod ad positionem literarum pertinet, melius in ea lingua qua scripta est editaq; requiratur. Habemus tamen & in nostra translatione, unde demus exemplum, dictum est enim in Psalmo 117. Benediximus vobis de domo Domini, Deus dominus & illuxit nobis. Et in Psalmo 17. Ira illius secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obcurantis aures suas.

Homoteleuton.

ὁμοιόπλευτον, similis terminatio dicitur, figura quoties media & postrema versus sive sententiæ simili syllaba, finiuntur: ut Ecclesiastici 6. Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias. Et iterum 7. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Hac figura Poetæ & Oratores sæpe utuntur. Poetæ hoc modo: Pervia divisi patuerunt cæcula ponti. Oratores verò ita:

Beatus Job, Deo soli sibi que cognitum in tranquillitate, ad majorem notitiam perducendus, tactus est verberare, ut odorem suarum virium tanto latius spargeret, quantum more aromatum melius ex incensione fragraret. Quo schemate, ipse qui hoc dixit, beatus Papa Gregorius sapientissimè usus fuisse reperitur. Et hujusmodi orationes esse reor, quas Hieronymus concinnas rhetorum declamationes appellat.

Homoeoptoton.

ὁμοιόπλευτον, quum in similes sonos exeunt dicta plurima: quemadmodum habetur Psalmo nonagesimo septimo: Cantate, exultate, & psallite. Et Ezechielis 18. Quod si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, & paulò post in montibus comedentem, & uxorem proximi sui pollutentem, egentem & pauperem contitulantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem, ad usuram dantem, & amplius accipientem, nunquid vita vivet?

Polyptoton.

Πολυπλευτον est, quum diversis casibus variatur oratio: ut ad Romanos 11. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in secula seculorum. Item Psalmo 67. Nive dealbabitur in Selmon, mons Dei. Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

Ismos.

Ἰσμος convenientia dicitur, quando series orationis tenorem suum usque ad ultimum servat, nulla videlicet alia vel causa, vel persona mutata: ut Psalmo 53. Deus in nomine tuo saluum me fac, &c. usque dum ait: Non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Orat enim Propheca, ut auxilio Domini salvatoris, ab hostium infecutione liberetur.

Poly syndeton.

Πολυσύνδετον, est oratio multis nexa conjunctionibus: ut Psalmo 40. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciet eum, & emundet in terra animam ejus, & non tradat eum in manus inimicorum ejus.

Dialyton, vel asyndeton.

Διαλύτον, vel ἀσυνδέτον, est figura superiori contraria, carens conjunctionibus: ut Psalmo 67. Jubilate Deo omnis terra, psallite nomini ejus. Date gloriam laudi ejus. Dicitis Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine.

Si autem habentur septemdecim Schemata divinæ Scripturæ.

LIBRI SCHEMATVM VENERABILIS Bedæ Presbyteri, finis.

